



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Robertus Abbas. Abnegatio sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. ROBERTUS ABBAS.

Abnegatio sui.

Deus, qui S. ROBERTI exemplo,
quam-plurimos abnegare seipsos, &
vitam sub obedientia ducendam eli-
gere docuisti; da nobis ejusdem meri-
to, totos in te transfundi, ut uni tibi
vivere valeamus.

Ora pro amatoribus solitudinis,



ROBERTVS, ex stirpe B. Giraldi Comitis Aureliacensis progenitus, primum ad S. Juliani Brivatensis Canonicus & Thesaurarius fuit; dein Presbyter ordinatus eleemosynariam domum instituit, pluribus verbo & exemplo utilis. Huic laboriosæ vitæ solitariam postea præferens, Romam peregrinus adiit; reversusque, nactus est similis propositi Milites duos, quibuscum quæsitū inventumq; feliciter locum adiit, titulo quidem tenus parochialem, sed omni pene humano vitæ solatio destitutum. Ibi Deo servientes, & pauperum accolarum saluti studentes, non deseruit Dei providentia; sed victum ultro adferri liberaliter fecit. Accedentibus ad novorum Eremitarum sanctitatem etiam miraculis, factus est concursus plurium, sub ROBERTI disciplina vivere cupientium: quibus ille monasteriū Casæ-Dei construxit an. 1043, eique, ex voluntate Henrici Regis & Leonis IX, Abbas præfuit usque ad an. 1067; quo sanctissime obiit. Defuncti vitā scripsit coævus Marbodo, tunc Andegavensis Archidiac. postea Episc. Redonensis; miracula an. 1160 Bertrandus Casæ-Dei monachus.

*Si quis vult post me venire, abneget semet-
ipsum, & tollat crucem suam. Matt. 16.*